

factionem & benedictionem: namque Agenda nostra Pomeranica volunt, pueros 12. annorum, & puellulas, sibi in templo Ministerio sacro, ut examinentur ex Catechismo, & ubi in eo sunt fundati, solent in publicum conventum produci, & commoneferi de fœdere baptismali, & admoneri, firmo stent in eodem, Deo assistente, talo, & benedictio sacra in nomine Patris Filii & Sp. S. super ipsos recitatur, Deoque omnes fiunt supplices, ut habeat sibi Ecclesiam suam, etiam in parvulis, commendatissimam. Sed hæc omnia absq; opinione cultus fiunt, ex *1. Tim. 4. & Marc. 10. Matth. 18.*

26. *An Ordo sit Sacramentum?*

Decisionem & objectionum solutionem pete ex L. de Ministerio Ecclesiastico, ubi tribus quæstionibus distinctis de eo est actum. puta 16. 17. 18. De Pœnitentia & Conjugio vide peculiare post hæc titulos.

IN LOCO

DE CIRCUMCISIONE.

THEOREMATA.

1. **E**tymologia Circumcisionis est à circumcidendo, quia in ea, juxta divinum mandatum, pellicula extrema membri genitalis refecatur.

2. Homonymia est, quod Circumcisio aliquando accipiatur pro sola externæ pelliculæ amputatione, *Rom. 2, 28. Eph. 2, 11.* Aliquando pro toto actu circumcisionis, constante signo, mandato & promissione, *Gen. 17. 7. seqq.* eaq; significatio est hujus loci propria. Accipitur itidem pro spiritali *Col. 2.*

3. Synonymia Græca est vox *ἀφαιρέσις τῆς ἀπετέμνειν* à circumsecando. Hebræa *כַּלְפָּה* quæ juxta R. Kimchi significat, omne superfluum amovere & rejicere. Dicitur autem pellicula refecanda Græcis *ἀπερβυσία*, *Rom. 2, 25.* vel juxta Aristotelem *ἀπερποδία* ab *ἀπερ* extremum, & *πόδι* genitale.

4. Circumcisio vero est primum V. Test. Sacramentum, à Deo institutū, & Abrahæ ejusq; posteris demandatū, quo per amputationē præputii in infantibus masculis, octavo die factā, vel in adultis, Judaicam religionem vere amplectentibus, & in promissum Messiam credentibus, Deus fuit efficax, ad applicandū & obsignandum fœdus divinum, atque omnia fœderis illius beneficia.

5. Genus